



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

**Geismar, Justus Moritz von
Coloniæ Agrippinæ, 1691**

Ad tit. XXV. de peculio cleri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

Dominus totius mundi. Id. ibid. 3. In onerosa omnes admittunt, ergo etiam in gratuita.

Dices: Donatio à DEO facta, v. g. Creaturarum, facit hominem statim Dominum. ergo. Resp. DEUM supplere acceptationem hominis. Et licet res sola voluntate admitti possit, non tamè acquiri, cum facilius quid destruat, quam producat. Sic nec in condonatione injuriæ alter jus acquirat ante acceptationem. Hoc observandum, quod jus alterius in me transferre possum sine consensu ejus, via satisfactionis, non via contractus. Vid. eund. ibid. f. 2.

Promissio autem obligat juxta voluntatem promittentis, vel ex fidelitate vel ex justitia, quo secundo casu transit in pactum. Habet autem fidelitas aliquid plus, quam veracitas; hæc autem tantum obligat, ut taliter sentiam, qualiter loquor; illa ut etiam factam. ibid. f. 4.

A D T I T. XXVI.

De Peculio Clericorum.

AD Num. 3. in fin. adde. Observandum quod divisio hæc in 4. partes per Simplicium Papam facta circa annum 470. circa tempora S. Aug. ex quo tempore unusquisq. cœpit habere dominium suæ portionis. Ante enim omnia in unum cumulum congregabatur, & Episcopus distribuebat singulis prout ratio exigebat, ob cujus fortè minus rectam dispensationem, hæc distributio introducta. Ita Franc. De

Arauxo, *Tract. 2. q. 19. n. 46.* ex Soto. Unde & sententiam propugnat, quod ad restitutionem non teneantur. Adde n. 50. Rationem; quia fabricæ non tenetur, utpote cui distincta portio est separata. Sed neque pauperibus, quia eorum portio aut nunquam fuit apud Episcopos (quod dubitanter adstruit Soto,) aut si aliquando fuit, ante dictam divisionem, vel etiam aliquanto tempore post, quod Authori verosimilius apparet. Veruntamen jam ab illis fuit abstracta & separata per Sedem Apostolicam in beneficiis practimonialibus, quæ Sedes à mensa Episcopali separavit, & destinavit pro alendis in studio pauperibus, nec non filiis Procerum, ad majorem tum Ecclesiæ, tum Familiarum Nobilium splendorem &c. Item quod fecit Jus gentium per divisionem, ut esset meum & tuum, idem fecit quadrupartita divisio.

Fachin. 5. cont. cap. 89. probat etiam ex cap. pervenit. De fidejuss. Basenb. lib. 4. cap. 2. dub. 3. ait probabilis in profanos usus posse expendi distributiones siue presentias, ut vocant, quæ beneficiariis ob presentiam in Choro distribuuntur.

Ad num. 9. in fine adde. Francisc. de Arauxo de stat. Eccles. q. 29. distinguit triplex in Religiosis peculium 1. Quando ita possidetur independenter à Superiore, ut à nullo sit revocabile. 2. Quando conceditur à Superiore ad certos usus, semper tamen revocabile est. 3. Si in genere concedatur ad usus licitos. Primum Religiosus in statu obedientiæ permanens habere non potest.

AD